



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

14. De non implentibus pœnitentias. Et an contra tales rectè procedere possint Inquisitores? Et an ex tali delicto oriatur non levis suspicio de hæresi? Et difficultas est, quibus pœnis subiiciantur? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

re gravi, possint inducere timorem etiam cadentem in constantem virum, nam de minimis non curat prator. Tertio debet esse ab homine valente, & parato verba & minas ad facta deducere. Nam multi minantur, etiam viles & infirmi, sed horum minæ à familia armata Inquisitorum parvipenduntur. Ita Zanardus, qui etiam notat ad infligendas pœnas positas in dicta Bulla, consulendum esse Senatui Cardinalium super negotiis fidei deputatorum. Et Castrus Palaus in *summa tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 19. §. 7. n. 3.* fatetur pœnam mortis latam in dicta Bulla nunquam præcisè imponi, nisi in aliquo casu raro & extraordinario, in quo simul cum defensione hæretici occidit, seu gravis alicujus ministri Inquisitionis vulneratio conjungatur, tunc enim sic delinquens curiæ seculari relaxatur cetero se fateatur hæreticum esse, & pœnitentiam exposculet, & ad reconciliationem admittatur, & hæc dicta sint in terminis Bullæ Pij V. *Si de protegendis.* Nunc in genere loquendo assero quod impediens Officium S. Inquisitionis sunt de fide suspecti, ut probat Campegius in *addit. ad Zanchinum, de hæret. c. 20. lit. A. ver. suspicio.* Locatus in *praxi Inquis. ver. suspicio, num. 11. Pegna in direct. Inquis. part. 2. comment. 79.* & alij communiter. Sed oritur difficultas, an sint de fide suspecti si impediunt Officium S. Inquisitionis, non ex ejus odio, sed ex consanguinitate cum hæreticis amicitia, pretio, &c. Negativam sententiam tenet Sanctarellus *tract. de hæresi cap. 4. i. dub. 3. num. 5. in fine,* ubi sic ait: Sunt suspecti de hæresi, qui impediunt Officium S. Inquisitionis, non tamen sunt suspecti, si id faciant amicitia, vel consanguinitate, vel pretio; nam licet tunc posset procedi contra eos non tamen tanquam suspectos, sed tanquam perturbantes jurisdictionem Officij S. Inquisitionis. Ita Sanctarellus qui citat Bonifacium de Vitalinis, & Zabarellam, quibus ego addo Duardum in *Bull. Cæn. lib. 2. can. 1. §. 3. n. 28.* & Batiolum in *aphor. litera 1. ver. Impeditores sancti Officij.*

Quoad hoc lege doct. §. Notandum. ref. nor. seq.

Infr. in Ref. 41. in ejus §. Notandum est.

3. Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori ad hæreo, quam in terminis tueretur Soufa in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 28. num. 17.* ubi sic ait: Impediens Officium S. Inquisit. non in odium fidei, sed propter alias causas, probabile est non dici fautores hæreticorum, oppositum tamen probabilis est. Sic ille. Sed supradictos esse mitius puniendos puto, ut dicemus *infra* de factoribus hæreticorum.

6. Verum his omnibus suppositis, restat inquirere quo pacto impediens Officium S. Inquisit. debeant abjurare & quibus pœnis puniendi sint? Quoad abjuracionem est magna difficultas & ita magna ut Zanardus in *direct. Theol. part. 2. pr. 1. cap. 5. §. 2. 3.* nihil de hoc voluerit definire; tamen ego puto supradictos debere abjurare in genere impedimentum & factoriam, pro qualitate suspitionis, ut notat Soufa in *aphor. lib. 1. cap. 28. num. 19.* eo tamen modo quo explicat Pegna in *direct. Inquis. part. 2. comment. 79. lit. C.* & Duardus in *Bull. Cæn. lib. 2. can. 1. quæst. 33. n. 34.* Verum Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 6. §. 7. num. 1.* putat hanc abjuracionem esse debere tantum de levi, alias verò pœnas putat esse debere secundum arbitrium judicis pro qualitate criminis scilicet pecuniæ, tritremis, fustigationis, & similibus, à quibus pœnis liberat qui tale delictum commiserunt, ex consanguinitate, vel amicitia. Sed hoc ego non approbo; puto tamen supradictos esse mitius puniendos, & ideo in *l. 2. ff. de receptorib.* receptans consanguineum, non liberatur à pœnis, sed mitius punitur.

Et an contra tales recte procedere possint Inquisitores?
Et an ex tali delicto oriatur non levis suspicio de hæresi?
Et difficultas est quibus pœnis subjiciantur?
Et docetur, quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abjurare? Ex p. 4. tract. 7. Ref. etiam 14.

§. 1. **E**X tali delicto oritur non levem suspicionem de hæresi, quasi conversio antecedens fuerit facta, concedunt omnes, & ideo contra tales recte procedere possunt Inquisitores, ut inter alios notat Simanca in *enchir. tit. 61. num. 7.* Difficultas est, quibus pœnis subjiciantur? Zanchinus *de hæret. cap. 10. num. 4.* & ibi ejus additionator Camillus Campegius *lit. C.* putant supradictos puniendos esse tanquam relapsos, & hoc etiam asseruit (quod nullus auctor, quem viderim, notavit) Io. Rojas *singul. 122. num. 3.* ubi sic ait. Dicitur relapsus & pœna relapsorum puniendus qui non adimplet pœnitentiam sibi injunctam per Inquisitores. Sic ille, qui citat Calderinum & Squillantem, quibus tu adde Doctores, quos invenies apud Menochium *lib. 1. consil. 82. num. 102.* Riminaldum *lib. 2. consil. 150.* & vide etiam Barsatum *consil. 7. n. 34. & 32.* cum Trevisano *lib. 2. decis. 36.*

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam tenendam esse docet Simanca *tit. 47. num. 77. & tit. 48. num. 29.* Julius Clarus *lib. 5. ver. Hæresis, n. 10.* & ejus additionator *lit. F.* ubi citat Riminaldum *loc. cit.* defendentem mulierem de pœna relapsi, cui Inquisitores injunxerant, ne de domo quam sibi pro carcere præfixerant, exiret & exivit sine licentia; & hanc opinionem tenent etiam duo viri doctissimi, Pegna & Canterus, hic in *qq. crim. cap. 1. de hæret. num. 60.* ille in *direct. Inquis. part. 3. comment. 146.* & idem etiam docuit Rojas sibi contrarius *de hæret. part. 2. n. 235.* & novissimè Soufa in *aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 38.* & alij, & hoc verum etiam esse puto, si reus promiserit cum juramento injunctam pœnitentiam servari sub pœna relapsi, ut docet Hippolytus Riminaldus *ditto consil. 150. num. 67. & 75.* & Menochius *loc. cit.* & alij.

3. Dicendum est igitur, eum qui pœnitentiam non adimplevit, non tanquam relapsum, sed tanquam impœnitentem condemnandum esse pœna arbitraria, ut ieiunij, fustigationis, vel dupliciter pœna ordinaria, ait Canterus *loc. cit.* Hinc ait Soufa in *aphor. lib. 3. cap. 29. n. 5.* quod si damnatus ad carcerem perpetuum fugiat etiam si non sponte veniat, sed comprehensus, reconciliandus est, sed majori pœnitentia profuga afficiendus; quicquid in contrarium asserat Barsatus *lib. 1. consil. 7. num. 4.* Arelatus *notab. 6.* Rojas *singul. 23. n. 5.* Vide Pacianum *consil. 19. num. 64.* Zecchium *tom. 1. tit. de hæret. cap. 1. n. 18.* & alios & ego supradictos regulariter damnarem ad tritremes per tres, vel quatuor annos.

4. Notandum est tamen, quod hanc posteriorem sententiam aliqui limitant, nisi pœnitentia imposita de directo contra hæresim detestatur tendat, ut contra ipsam prædicare, cum hæreticis non conversari, &c. Nam in tali casu putant, condemnandum esse reum tanquam relapsum. Ita Riminaldus *lib. 2. consil. 156. num. 13.* Menochius *lib. 1. consil. 82. num. 107.* Trevisanus *lib. 2. decis. 36. num. 2.* & alij. Verum Iacobus Simanca *tit. 47. num. 77.* putat etiam in tali casu quod non adimplens pœnitentiam non haberet pro relapsos, sed condemnandum arbitrio Inquisitorum denuò ad maiorem aliam pœnitentiam. Sed ego teneo opinionem affirmativam cum Riminaldo, & aliis, quibus adde Canteram *ubi supra*, & Soufam in *aphor. Inquis. lib. 3. cap. 29. num. 9.* Nam non facere supradictas pœnitentias, est signum vehemens à jure statutum, approbationis erroris. Ergo contra Simancam, ut relapsus erit in talis puniendus; & ita etiam hanc sententiam tenet

RESOL. XIV.

De non implentibus pœnitentias.

tenet doctus Inquisitor Vmbertus Locatus in *praxi Inquisit. ver. penitentia.*

5. Nota etiam hic, quod qui iniunctas penitentias non modo non adimplet, sed animo obdurato adimplere recusat, velut impenitens est iudicandus; & si nolit respicere, tradendus est Curiae seculari. Idem dicendum est si penitentiam impositam propter hæresim probatam recipere renuit. Ita Pegna *part. 3. comment. 14. & Soufa loc. cit. num. 7.* & alii. Vnde hic inferitur decisio illius d. d. nempe quid facere debeant Inquisitores contra nolentes abjurare? Respondeo, quod abjurare recusans habetur pro convicto, & Curiae seculari tradendus est, ex constit. Martini V. sed tunc statim Curiae seculari tradendus est, quando aut confessus, aut convictus, aut in hæresi manifestè deprehensus abjurare renuit; si autem non fuerit confessus, vel convictus, tunc non statim Curiae seculari tradatur, sed antea excommunicabitur, & in excommunicatione si per annum steterit, tamquam hæreticus condemnabitur & ita docet Vmbertus Locatus in *praxi Inquisit. ver. suspicio, num. 8.* Hippolytus Riminaldus *lib. 4. cons. 395. num. 64.* Eymericus in *director. Inquisit. part. 2. quest. 55.* & ibi Pegna *comm. 80.* Delius in *disquisit. mag. lib. 5. sect. 12.* & ideo Soufa in *aphor. lib. 2. cap. 40. num. 16.* sic ait: Refutans abjurare de levi, non statim est Curiae seculari tradendus, sed prius excommunicatur, & si per annum pertinaciter in excommunicatione persistat, Curiae seculari traditur, Sic ille.

RESOL. XV.

De frangentibus carceres, vel inde fugientibus, dum eorum causa agitur? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 15.

§. 1. **C**arceratum pro hæresi si fugiat, pro convicto habendum, & tanquam hæreticum damnandum, tradit Zanchinus *de hæret. cap. 10. num. 4.* & quod magis mirum est, ibi Additionator Campegius, vir quidem doctus, in *addit. lit. B.* vide etiam *Malcardum de probat. tom. 2. concl. 820.*

2. Sed merito adversus Campegium surrexit Simanca in *annot. d. r. Zanchini cap. 8. & in Cathol. instit. tit. 16. num. 23.* Io. Rojas *de hæret. part. 2. esser. 15.* Pegna in *direct. part. 3. comment. 35.* & novissimè Soufa in *aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 26. num. 37.* & Ioseph Aldrete *de disciplina tuenda lib. 2. cap. 8. num. 25.* Ratio est, quia in tali casu præsumendum est reum fugisse carceris rædio, aut metu falsorum testium, vel ob timorem tormentorum, & non quia haberet errorem in intellectu; non debet tamen ob dictam fugam impunitus evadere, & ideo ait Soufa in *aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 26. num. 32.* quod arbitraria pœna debet puniri, sed non descendit ad aliquod particulare, quod fecit Pegna *loc. cit.* ubi sic asserit. Qui dum custodiretur pro hæresi, de carceribus effugit, consuetudine potius, quam lege aliqua receptum est, præsertim in Hispania, ut si sit Nobilis, Doctor, Religiosus, aut aliàs honorabilis civis, custodiatur arctius, & durius puniatur; quod si vilis sit, publicè verberibus flagellandus, & causa hæresis in suo statu permanens tractatur, quamquam & aliis pœnis arbitrariis puniri possunt. In quo mitius est, cum illis agendum, qui custodis negligentia evaserunt. Ita Pegna, & post illum Paramus *lib. 3. quest. 4. num. 72. & seq. & Sesse tom. 4. decis. 471. n. 6.*

3. Notandum est tamen hic cum Soufa *num. 37. Rojas num. 185.* Pegna, & aliis quoddam licet, ut dictum est, detentus in carcere pro crimine hæresis, si aufugiat, neque pro confessio, neque pro convicto habetur; tamen refultat contra ipsum non solum ut ait Soufa, indicium ad torturam, sed si non comparcatur

tali indicio cum aliis adjuncto, potest citari ad comparandum; & si non comparcat, potest condemnari. Vide etiam Sesse *num. 8.*

RESOL. XVI.

De falsis testibus.

Et an supradicti pœna talionis sint condemnandi?

Et quid de filiis, & nepotibus testis falsi?

Et an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis, cum quibus prece, minis, aut pretio testem corruptum, vel falso in Sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 16.

§. 1. **E**sse supradictos pœna talionis condemnandos, tenent viri doctissimi, ut Ioan. Rojas de *hæres. part. 2. num. 156.* Antonius Gomez in *leg. Tauri. 83. num. 8.* & ecchius in *sum. tom. 1. & de hæres. cap. 1. n. 4.* & alij, & patet ex constit. Leonis X. qua decretum est, testem falsum qui innocentem opprimeret, tanquam hæreticum voluit, Curiae seculari tradendum esse, & quidem urget major ratio in hoc crimine, quam in aliis, ut pœna talionis imponatur, nam in hoc crimine nomina testium non publicantur, unde datur major ansa ferendi falsum testimonium.

2. Verum his non obstantibus, regulariter contrarium servatur in praxi, tam in Romana, quam in Hispanica Inquisitione. Vnde rectè Sanctarell. *de hæres. cap. 39. dub. 3. num. 17.* asseruit, quod in Tribunali S. Inquisitionis falsi testes non puniuntur pœna talionis, & citat Farinacium, Zanchinum, Campegium, & alios: dixi regulariter, quia primam sententiam admittit Soufa in *Aphor. lib. 2. cap. 8. num. 29.* Castrus Palau in *summ. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. n. 6.* & Simanca *tit. 64. num. 90. & 91.* quando ex falsa testificatione reus fuerit combustus; tunc enim putant falsum testem puniendum esse pœna talionis, & sic prædictum fuisse in Inquisitione Lagronensium testatur, quod factum approbato, quia certè teneo illos Inquisitores, ut moris est, consuluisse supremum Inquisitorem Hispanicæ; nam illo inconsulto hoc facere minime Inquisitores debent, & ideo Salzedus in *addit. ad præf. crimin. Diaz, cap. 93. lit. B.* sic ait: In Romana Curia supremus & Generalis Inquisitionis Senatus, minime consuevit testes falsos seculari Curiae tradere, sed aliis pœnis eos punit; ex quo quando talis casus evenit, inferiores Inquisitores inconsulto supremo Inquisitionis Senatu, non debent testes falsos, qui graviter nocuerint, Curiae seculari puniendos relinquere. Itaque si testes falsi de vera & formali hæresi contra aliquem deposuerunt, qui ut hæreticus negativus combustus fuit, & ejus bona fuerunt publicata, si Inquisitores pro tam gravi crimine existimaverint ad condignam punitionem testes seculari Curiae tradendos, oportet ut consulant generalem Senatam Inquisitionis, quia tam gravis pœna absque expresse lege Canonica, prætextu cujuscumque opinionis huius, vel illius Doctoris facile imponenda non est; quia decretum illud Leonis X. non est ubique receptum, nec voluit quod ut lex universalis observetur; quod si ipsi propria autoritate eos punire decreverint, pœna perpetui carceris, aut condemnatio ad tritremes erit imponenda productis prius tanti criminis reis in publicum spectaculum. Ita Salzedo.

3. Sed audiamus Soufam in *aphor. Inquisit. lib. 2. n. 8. num. 27.* sic asserentem: Testis falsus in crimine hæresis gravior, quam in aliis criminibus puniendus est; regulariter tamen Curiae seculari non traditur, sed ducitur in publicum spectaculum ligatis manibus & pedibus, discooperto capite in camilla, sustigatur, ad tritremes mittitur, aliisque pœnis plectitur, ut mita infamij,